

Iohannes Pontanus

43

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Iohannes Pontanus

43

1476-07-23

Ferdinandus Dei gratia rex Sicilie, Hierusalem et Hungarie, nobili et egregio viro notario Eustasio de Danesio de Matera, fideli nostro dilecto, gratiam nostram et bonam voluntatem

1

Ne testificantium personarum casu fides publica pereat et veritatis essentia sub modio posita delitescat rei geste memoria, documentis puplicis studiose redigitur in presentem notitiam et cum cautela provida renovatur. Sane pro parte nobilis mulieris Elicie de Mathera, filie et heredis quondam Eustasii de Nuczo, tamquam patrone cappelle nominate sancte Catherine, site intus maiorem ecclesiam Matherensem, fuit maiestati nostre reverenter expositum quod olim die VIII Februarii VIII indictionis MCCCCXXX, regnante serenissima quondam regina Ioanna secunda memorie celebris, // constitutis in testimonio puplico nobili Eustasio quondam Nucii de iudice Andrea de Mathera, voluntarie imperpetuum dedit, locavit, censuavit et concessit ad annuum census Ioannucio Iacobi Antonii de Milionico, habitatori Mathere, griptam unam cum casili ubi fuit umbricia et cum platea ante ipsam, sitam intus corpus civitatis Mathere, in pictagio ecclesie maioris sancti Eustachii, iuxta griptam clericorum episcopatus Mathere et alios confines, pro annuo censu tarenorum trium de carlenis argenti, pro ut in actis et protocollis quondam Antonii de Riccardo de Mathera puplici notarii continetur, intervenientibus pro iudice Loysio de Thomasio Nicolai de Angelo de Mathera et pro testibus donno Eustachio Re di Napoli (1458-1494). Per una biografia minima si rinvia a A. Ryder, *Ferdinando I d'Aragona*, in *Dizionario Biografico degli Italiani*, 46 (1996), pp. 174-189.

magistri Nucii, Donato notarii Eustachii, Gaptino de Papaleone, Iacobello Cicci de Iohannuccio et Silvestro de Clerico de Mathera. Et antequam de dicto contractu conficeretur publicum instrumentum, memorati notarius et testes fuerunt morte preventi, superstite tantum dicto Loysio de Thomasio, qui in dicto contractu pro iudice intervenit; et cupiens dicta exponens pro parte dicte ecclesie, cuius interesse tangitur ex eo quod dictus census eidem ecclesie spectat, ratione testamenti dicti quondam Eustasii, de dicto contractu publicum habere documentum et illud in publicam formam reduci facere, propterea eidem nostre maiestati humiliter supplicari fecit ut super hoc sibi oportune, ne rei geste veritas lateat et quod verum est clare elucescat, de auctoritatis nostre presidio benignius providere dignaremur. Nos autem cupientes integre quod negotiorum veritatis essentia non pereat et fides probationis publica non decrescat, predecessorum huius regni nostri regum in hiis sequendo vestigia, quos in similibus sic providisse comperimus, ecclesiarum in hac parte exposcente favore, actento maxime quod iudex qui in eo intervenit adhuc vivit, fidelitati vestre tenore presentium de certa nostra scientia consulto et deliberate commictimus et mandamus expresse quatenus comperta nota contractus, predicti quondam notarii Antonii propria manu scripta, qui in dicto contractu rogatus ut supra intervenisse asseritur, inter acta, notas et protocolla eiusdem notarii penes conservatores hactenus eorumdem scripta, que nota sit aliis notariis dicte civitatis Mathera et dicto Loysio viventi iudici, repertoque quod dictus notarius Antonius, dum vita potitus fuit, bone fame fuerit et quod ad eum velud ad publicum fidelem et bone fame notarium // pro hiis que ad notariatus officium spectabant comuniter

in eadem civitate habebatur recursus, vocato per vos prefato Loysio de Thomasio superstitute, qui in dicto contractu pro iudice intervenisse asseritur ut supra et assumptis testibus aliis premortuorum loco, qui una vobiscum intersint in reassumptione instrumenti predicti, inde ex ipsa nota reassumatis in publicam formam, in quo huiusmodi adhibiti testes, precedente subscriptione dicti iudicis Loysii viventis premortuorum loco se subscribant, non quod in dicto contractu se intervenisse asserentur, nisi dictus iudex superstes, ut supra, sed scedem ipsam sive notam inter acta et protocolla dicti notarii Antonii invenisse dicant; quod instrumentum per vos ut supra reassumendum et per dictos iudicem et testes loco premortuorum testium testandum illam vim, robur et efficaciam habeat, quam haberet si scriptum et signatum esset propriis manibus dicti quondam notarii Antonii et dictorum testium qui, rogati, in dicto intervenerunt contractu, ut veritatis essentia sub latibulo posita presidio reparande probationis resurgat, quibusvis moribus, vitibus, observantiis, regnique capitulis et alii forte contrariis non obstantibus quoquo modo, presentibus magno maiestatis nostre sigillo munitis vobis propterea directis.

Datum in castello nostro novo per magnificum militem utriusque iuris doctorem et consiliarium nostrum fidelem dilectum Lucam Toczolum Romanum , locumtenentem spectabilis et magnifici viri Honorati Gaitani de Aragonia , Fundorum comitis, regni logothete et prothonotarii, collateralis, consiliarii fidelis nostri dilecti, die vicesimo tertio Iulii, millesimo quatricentesimo septuagesimo sexto. Rex Ferdinandus. Dominus rex mandavit mihi Io: Pontano provisione facta

per locumtenentem prothonotarii. Solvit tarenos quatuor:
Paduanus patetarius. Registratum in cancelleria penes
prothonotarium. In registro quarto

2

3

Avvocato concistoriale presso la curia pontificia, dovette fuggire per false accuse da Roma. Trovò rifugio presso la corte di Ferrante e grazie ai suoi titoli divenne lettore di diritto presso lo Studium e fu inserito nella corte come luogotenente di Onorato II Caetani di Fondi. Dallo stesso sovrano ottenne anche diverse concessioni negli anni Ottanta. Per un suo profilo vd. Maffei, *Tozzoli Luca*, in *Dizionario Biografico degli Italiani*, 96, Roma 2019, *su vocem* (ultima consultazione il 28/02/2025).

Onorato II Caetani fu conte di Fondi (†1491) e tra i più importanti uomini della corte di Ferrante. Per un suo profilo biografica vd. S. Pollastri, *Les Gaetani de Fondi: recueil d'actes (1174-1623)*, Rome 1998, pp. 56-58, 76-79.